



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Mysteria Complectitur Incarnationis & Infantiae Iesv Christi Domini
Nostri, vsque ad eius Baptismum

Puente, Luis de la

Coloniae, 1613

Med. 24. De B. Virginis Purificatione, & Præsentatione pueri Iesv in
templum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54647](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54647)

MEDITATIO XXIV.

DE B. VIRGINIS PURIFICATIONE, & pueri Iesu in templum
Præsentatione.

PUNCTVM. I.



Exerat antiqua: a Mulier. si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus: & die octavo circumcietur infantulus; ipsa verò triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis. Cumq; expleti fuerint dies Purificationis sue, deferet agnum auniculum in holocaustum, & pullum columbae sive turturem pro peccato. Quod si non potuerit offerre agnum, sumet duos turtur es, vel duos pullos columbarum: orabitq; pro ea sacerdos; & sic mundabitur. Hanc legem admirandis editis virtutibus B. Virgo impleuit: sex præcipue eminent, quæ quoddam instar sint sex foliorum Liliæ albißimi, optimè illi aptatur, quod celestis dixit sponsus. b Sicut liliam inter spinas; sic amica mea inter filias.

a Leuit. 12.
2.3. &c.

Heroica B.
Virginis
virtutes.

b Cant. 2.1.

I.

PRIMA VIRTUS fuit, magnus clausuræ amor. quæ tanta illâ tranquillitate afficiebat. vt

quamuis eam lex non imperasset, ipsa tamen sibi eam elegisset; atque in angulo illo toris illis 40. diebus magna sua voluptate mansisset, contemplationi tantum, filijque sui nutritioni intenta: cum quo aded contenta erat, eiusque aded satiabatur aspectu, ut mundi totius communicationis facile obliuisceretur.

SECUNDA fuit ingens PURIFICATIS, & cordis munditiei amor. cum enim reuera purissima esset, libuit nihilominus, iuxta legem amplius purificari: ut merito illi dicere posset dilectus: *c Tot a pulchra es am: a mea, & macula non est in te.* c Cant. 4. 11.

TERCIA fuit heroica OBEDIENTIA: nam cum certo ipsi constaret, se illam purificationis lege non teneri, quæ viri operam non concepisset: voluit tamen illi obtemperare, sicut ipse eius filius Circumcisionis legi obtemperavit: quod cæteris foeminis conformior esset, leges illis communes & ipsa seruans, nec ab ijs exemptionem, privilegium, aut dispensationem quærens; nec Epicheia aut interpretationibus utens, etiam in quibus id ei licuisset. Quare, expletis quadraginta diebus, absque alia mora Ierosolymitano se commisit itineri, singulari animi lætitia modestiaque exultans, Ierosolymitano se commisit itineri filiolum in vlnis gestans: à quo hanc obedientiæ perfectionem didicerat.

QUARTA virtus fuit rara HUMILITAS, animique demissio; nam eo facto ostendit, se purificatione indigere; & more aliarum foemi-

Q 5 narum

II.

III.

IV.

narum peperisse: cū reipla nec indigeret purificatione; nec vt alia, sed virgo peperisset. cuius exemplo erubescam ego, qui cū reuera peccator sim vilissimus, & omnia mea opera, etiam quæ alias *diusta* videntur, *sint quasi pannus menstruatus*, qui, impurissimi sanguinis maculis foedatus, nauseam mouet intuenti; adeo tamen superbus sim, vt mandus sanctusq; haberi velim.

di sai. 64, 6.

V. QUINTA virtus fuit magnus PAUPER-TATIS amor, quæ humilitatis est soror germana. Nam cū potuisset fortè, auro, quo Magi obtulerant, agnum emere, quem aliam diuitum & nobilium matronarum more offerret: elegit tamen ipsa, pauperibus constitutum munus, hoc est, duos turtures, aut columbarum pullos, vt pauper offerre.

VI. SEXTA denique virtus fuit, insignis DEVOTIO, ac reuerentia, qua munus suū obtulit Sacerdoti, demissè ab eo potens, vt pro ipsa Deum oraret; cum ipsa potius pro omnib. posset orare. Et quoniam liliū intra sex candidissima folia, sex alias virgulas cum extremitatibus aureis complectitur, in hos etiā B. Virgo meritò *sicut liliū* esse dicitur, quæ prædictis virtutibus varios miscebat affectus, puræ rectæque intentionis, gloriæ Dei, charitatis igne inflammatos, & aureo sapientiæ celestis colore splendentes. O Virgo sanctissima, plurimum gaudeo, quòd tot virtutibus te ditissimam video, & in eisdè perfectissimè exercendis diligentissimā. Nunc magis aduerto, quam

verè

M
E
F. DE P. O. N.
R. I. & C.

verè apteque sis *lilium inter spinas*. tui enim c Cant. 2. 1.
 comparatione omnes nos peccatorum nostro-
 rum spinis denigrati foedati que sumus; tu li-
 lium candidissimum & purissimū, sex harum
 virtutum folijs ornatum. Apparet satis, ô ex-
 celsa Regina, te Regem in præsepio suo reclina-
 tum, aut in gremio tuo quiescentem, conti-
 nuè, & attentissimè contemplaram esse: siqui-
 dem, *f dum esset Rex in accubitu suo, Nardus* c Cant. 1. 12.
tua, Spiritus tuus, *dedit odorem suum*, quò illū
 imitareris; suauissimum puritatis, humilita-
 tis, & obedientiæ odorem efflans, charitatis
 igne inflammatum. Impetra mihi, ô Domina,
 vt & ego in eundem Regem & te ipsam eo spi-
 ritu affectu que intendam, vt similem spirem
 odorem. Amen.

PUNCTVM II.

LEX alia iubebat: a *Sanctifica mihi omne* a Exod 13
primogenitum, quod aperit vuluam in fi-
lijs Israel: Id autem fiebat in memoriam
 illius beneficii, quo populum suum Deus edu-
 xit de Aegypto, *b percutiens omne primogeni-* b 11. 5. 12.
tum in terra Aegypti. Hanc legem vt seruaret
 B. Virgo, filium suum *tulit in Ierusalem, vt si-*
steret eum Domino, & offerret æterno Patri.

PRIMUM hic spiritum ac deuotionē con- I.
 siderabo, qua B. Virgo, suo & totius humani
 generis nomine, hanc fecit oblationem. Di-
 xerit enim: Ecce, Pater æterne, vnigenitum
 tuum, quā Deus est; & meum, quā homo:
 quem primogenita omnia, quæ offerri tibi
 iussisti,

iussisti, & quæ hætenus tibi sunt oblata, significarunt; cuiusque oblationem tantopere hætenus desiderasti: cum ego tibi toto corde offero, in gratiarum actionem quod mihi eum dederis, siquidem nihil eo preciosius habeo quod offeram. Tuus est: accipe illum tibi, apud quem melius erit collocatus, quam apud me. Eundem etiam pro totius mundi salute & redemptione offero in odorem suavitatis. Accipe, Deus meus, oblationem hanc, Abelis illa preciosiorem, Noe suaviorem, Abrahami sanctiorem, & omnibus, quas Moyses offerri iussit, excellentiorem: per eam igitur supplico, ut mortalibus omnibus condones, eosque in gratiam amicitiamque recipias. O quam fuit æternus Pater hac oblatione delectatus, tum ob pietatem offerentis; tum ob rei ipsius oblationis præstantiam!

II. DEINDE, ipsius Infantuli spiritum, etiam perpendam, quo ipsemet æterno suo Patri in templo se obtulit. Ecce, dixerit, æternæ Pater, vni genitum tuum ut tibi obediret hominem factum; & ut te honoret, in templum venientem: hic me tuæ maiestati offero promptum, & ad voluntatem tuam semper exequendam paratum. Et, quoniam nec mors totæ primogenitorum in Aegypto, nec oblatio d primogenitorum israelis tibi accepta fuit pro hominum salute, ego me pro ea ad mortem offero: quod morte mea & sanguinis mei sacrificio placatâ irâ tuâ, populum tandem tuum vindices à servitute peccati. Hac ratione licet existimare præ-

titulæ

Exod. 11. 5.
 135. 10.
 14. 36.
 Exo. 13. 12.

stitisse hic IESVM infantulum, quod de eo dixit Apostolus. *Qui dilexit nos, & tradidit semetipsum hostiam & oblationem Deo in odorem suavitatis.* Est etiam fas credere, hanc oblationem factam fuisse tempore matutino, cum ex more, *f. Agni sacrificium* offerretur, quod lex *f. Exod 29. 39.* *matutinum* appellabat: ut figuræ figuratū mutuo sibi responderent. Quam itaque suavis hæc oblatio fuit æterno Patri! quantum in eâ conquevit! ut qui eam diu concupiuisset! Aliorum enim primogenitorum oblationes, nullius in se erant momenti; nisi quatenus huius erant figuræ.

III.
 TERTIÒ, ad me ipsum oblationem hanc applicans, cogitabo: etsi eam Christus pro omnibus hominibus fecerit, pro me tamen in particulari sese obtulisse, quem in sua memoria & corde præsentem habebat. Qua cogitatione, me ipsum intra animæ me templum, æterno Patri in spiritu præsentabo; simulque cum B. Virgine & ipsomet infantulo, eum offeram in gratiarum actionem, quod eundem mihi Redemptorem dederit ac Magistrum: & supplex petam, ut oblationem hanc acceptare, me per eam sibi reconciliare, ac donorum suorum participem facere dignetur. O Pater summe, toto cordis mei affectu, tuum tibi offero unigenitum filium: & licet ego, qui offero, repulsam merear: cum tamen is, qui offertur, sit talis, confido me unà admittendum. Accipe illum Domine, in odorem suavitatis, & per eum mihi, peccatorum veniam concede;

vt cor-

vt corde mundo valeam in templo gloriæ tuæ comparere. Amen.

PUNCTVM III.

Exo. 13. 13.

*34. 20.

Num. 3.

7.

EADEM lex iubebat: a *Omne primogenitum hominis de filiis Israel pretio redimitur quod erat b quinq; Siclorū.* Eos B. Virgo Sacerdoti dedit, à quo filium suum recepit.

PERPENDENDVM hic, quis hanc Infantis IESV venditionē instituat, quis eum emat, quo pretio, cui ematur, & quæ ex ea oriatur bona.

I. PRIMVM: æternus Pater, cui hæc oblatio facta est, non sibi eam retinere voluit; sed quod oblatum erat, mundo & hominibus reddidit, idque venditione, ad maius ipsorum commodum, infinitam suam ea ratione liberalitatem & bonitatem confirmans: tantum enim abest, vt prioris donationis pœniteat, vt nouis adinuentis ad redonandum titulis, eam ratificet, quò maiori vsui, mundo esse possit.

II. DEINDE, eum redimit B. Virgo, vt tanquam filium suum nutriat, non etiam vt sibi seruet; sed nobis eū nutrire vult: ad hoc enim redemit, vt is in nostrum commodum setotum impenderet.

III. PRETIVM non amplius est, quam Siclorum quinque. O Pater æterne, quàm vili, rem adèd pretiosam vendis! cur primogenitum hunc parem alijs in pretio facis? si reliqui redimuntur quinq; siclis; multis hic certè millibus esset redimendus, quia infinite illos omnes

exce-

excedit. Sed facile est deprehendere, venditionem hanc & pretium, nomina tantum esse: reuera autem esse donationem, mereque gratis dari; quod ego, absque intermissione, pro nouo dono gratias agam. Sis ergo Deus propterea benedictus, & ab omnibus tuis creaturis in æternum glorificeris. Amen.

LICET etiam spiritum æstimare, qui in hoc quinque siclorum pretio latet: quibus significatur pretium, quod diuinæ sapientiæ *c aurum ignitum probatum*, ipse scilicet Christus, eo quo potest modo, *emitur, ut locupletes fiamus*. Est enim pretium illud quinque nostrorum sensuum mortificatio, & quinque insignium virtutum actus, quæ nos ad gratiam, eiusque perfectionem obtinendam disponunt, Viua nimirum Fides, Timor Dei, Dolor de peccatis, Confidentia de misericordia diuina, & firmum Deo obediendi, eiusque voluntatem exequendi propositum. Quamobrem, si cupis, anima mea, Christum esse tuum, aduerte, eum nec *damo nec argento comparari*, sed quinque his spiritibus siclis; quos si æterno obtuleris Patri, certò tibi eum dabit.

c Apoc. 3, 12.

d Isai. 55. 1.

FINIS denique, ob quem Infans IESVS emitur & redimitur, ille est, ut hominum seruus fiat, pro quibus etiam morti tradatur. O IESU dulcissime, quàm lubens & vendite pateris, & redimi: quò hac venditione tua, illam facias irritam, qua ego peccans, animam meam vendideram, quam tu pretio isto, ut tua perpetuò sit, redimis. Sed neque

IV.

hic

hic amor tuus sistit: paratus es enim, iterum à falso quodam discipulo utēdī; emi veid ab hostibus illis tuis, qui vitam etiam tibi auferent, quò nostræ redemptioni, morte ipsa tua, finis imponatur. Sit benedicta immensa ista charitas tua, quæ nunquam defatigatur, aut satiatur benè nobis faciendo. Latere, anima meo: quia B. Virgo filium suum pro te emit: Exultra, quòd IESVS iam sit tuus: quem Pater eius pro quinque siclis tibi tradidit. O bone IESV, meus es hac recenti emptione: sed ego me in tuum omninò trado: magna què fiducia dicere audeo. e *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Sic ita, bone IESV: nec tu me vnquam deferas; nec tu me vnquam deferas; nec ego te. Amen.

e *Can. 2. 16.*

MEDITATIO XXV.

DE IIS QUAE IN PRAESSENTATIONE cum Simeone & Anna Prophetissa euenerunt.

PUNCTVM I.

a *Luc. 2. 36.*

Tece: homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus expectans consolationem Israel, & Spiritus sanctus erat in eo: & responsum acceperat à spiritu S. non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.

CIRCA